

The image shows the front cover of an antique book. The cover is decorated with a complex marbled paper pattern, featuring a base of light grey and beige tones, overlaid with intricate, vein-like patterns in black, yellow, and reddish-brown. A central vertical crease indicates the spine of the book. On the right side, there is a rectangular yellow label with a double-line black border. The text on the label is written in a cursive script.

*Cantilenæ
selectiores.*

*Ex antiquis cantionibus
denuo divulgata a J. Lindell
Aboæ 1761*

CANTILENÆ
SELECTIORES,

EX ANTIQVIS CANTIONIBVS,
OPERA

THEODORICI PETRI Nylandensis
GRYPHISWALDIE, 1582
AB AUGUSTINO FERBERO,

NEC NON

DEINCEPS WISINGSBURGI, 1679

A JOH. KANKEL
IMPRESSIS, EXCERPTÆ;

DENUOQUE IN GRATIAM SCHOLA-
RIUM, DISTINCTIS STROPHIS, ALIA-
QUE LIBITA EMENDATIONE,
DIVVLGATÆ

JOH. LINDELL, ER. PUL.

Dir. Cantus Schol. Cathedral, Aboeni.

Peter ...



ABOÆ, Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

1761.

Johan ...

177

Handwritten scribbles and signatures

INDEX CANTILENARUM.

De Nativitate Christi.		PAG.
1	<i>Angelus emittitur &c.</i>	3
2	<i>Ave maris stella, Divinitatis &c.</i>	3
3	<i>Dies est latitiæ In ortu regali &c.</i>	4
4	<i>Ecce novum gaudium &c.</i>	6
5	<i>Congraudeat turba fidelium &c.</i>	6
6	<i>Personent hodie Voces puerule &c.</i>	7
De fragilitate & miseriis humanæ conditionis.		
7	<i>Vanitatum vanitas, Omnia &c.</i>	7
8	<i>Insignis est figura &c.</i>	8
9	<i>Scribere proposui &c.</i>	9
10	<i>Mars præcurrit in planetis &c.</i>	10
11	<i>Mirum si lateris &c.</i>	11
De vita Scholastica.		
12	<i>O Scholares discite &c.</i>	11
13	<i>Scholares convenite &c.</i>	13
14	<i>In stadio laboris &c.</i>	13
15	<i>O Scholares, Voce pares &c.</i>	14
De Tempore Vernali.		
16	<i>In vernali tempore &c.</i>	14
17	<i>Tempus adest floridum &c.</i>	15
Accessit:		
18	<i>Jesu Benigne, A cujus &c.</i>	16

NB. Str. Strophus 1. 2. 3. &c.

:f: Indicat primam repetitionem esse factam.

--- Denot. syllab. in cantu producend.



Cantiones de Nativitate Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi.

Cant. 1.

Str. 1. **A**ngelus emittitur, Ave dulce promittitur,
Semen DEI feritur; Igitur porta cæli
panditur.

2. Vim Natura patitur, Filius concipitur,
Virgo non corrumpitur; Igitur &c.

3. Grex in nocte pascitur, Cæli lumen funditur,
Laus in altis canitur; Igitur &c.

4. Gaudium prædicatur, Pax quoque promittitur,
Bonis tamen traditur; Igitur &c.

5. Novum sidus oritur, Mortis umbra tollitur,
Mundi salus gignitur; Igitur &c.

6. Diligendus proditur, Nil culpandus moritur,
Non vincendus capitur; Igitur &c.

7. Cruci vita figitur, Infernus destruitur,
Captivitas tollitur; Igitur &c.

8. Adam nexu solvitur, Mors orco deprimitur;
Caput hostis teritur; Igitur &c.

9. Argumentis igitur, In his Christus sistitur &
Morti sic excluditur; Igitur porta cæli panditur.

Cant. 2.

Str. 1. **A**ve maris stella, Divinitatis cella, Natus
castitatis, Radix sanctitatis, Filius æter-
na claritatis. Apparuit, Apparuit, Quem pia Vir-
go genuit Maria.

) 2

2. Ave

2. Ave puer mitis, Suavitatis vitis, Mundi es creator, Simul & Salvator, Tu es, omnis bonitatis dator. Apparuit, Apparuit &c.

3. Hodie Salvator Et Angelorum Sator, Mitis & devotus, In Judea notus, Nascitur & languet ut agrotus. Apparuit, Apparuit &c.

4. Pannis involutum, Quem Virgo profert nudum, Hunc cognovit * esse De radice Jesse, Quem Propheta cecinit expresse. Apparuit, Apparuit &c.

5. Umbra vetustatis, Enigma cecitatis Transiit, & in lucem Virgo profert nucem, Dans Israël ex Aegypto Ducem. Apparuit, Apparuit &c.

6. Ecce conceptura Natumque paritura Virgo nominatur Atque salutatur, Mundus sic de morte liberatur. Apparuit, Apparuit &c.

7. Clamat Esaias: Jam preparate vias, Semitas & rectas Domino perfectas, Animas qui coronat electas. Apparuit, Apparuit &c.

8. Rigor perit legis, Dum pro peccato gregis Pastor immolatur, Hostia maculatur, Populus in tenebris salvatur. Apparuit, Apparuit &c.

9. Puer singularis, O Christe stella maris, Salus in procella, Nate de puella, Dominum pro nobis interpellat. Apparuit, Apparuit, Quem pia Virgo genuit Maria.

Cant. 3.

Stral. **D**ies est latitiae In ortu regali, Nam processit hodie** Ventre virginali: Puer a mirabilis, Totus delectabilis In humanitate, Qui inestimabilis Est & ineffabilis In Divinitate.

2. Orto DEI Filio Virgine de pura, Ut rosa de lilio, Stupescit natura: Quem parit iuventus. Natum ante secula, Creatorem rerum, Quod uber mundi-
tia Dat lac pudicitiae Antiquo dierum.

3. Mater haec est filia, Pater hic est natus, Quis audit tali? Deus homo natus: Servus est & Dominus, Qui ubique cominus Nescit comprehendi, Praesens est & eminus, Stupor ejus geminus Nequit apprehendi.

4. In obscuro nascitur Illustrator Solis, Stabulo reponitur Princeps terrae molis: Faciatur dextera, Quae affixit sidera, Et caelos ascendit, Concrepat vagitibus, Qui tonat in nubibus Ac fulgur accendit.

5. Angelus pastoribus, Juxta suum gregem Noctae vigilantibus, Natum caeli regem: Nunciat cum gaudio, Jacentem in praesepe, Infantem pannosum, Angelorum Dominum, Et, praenatis hominum, Forma speciosum.

6. Ut vitrum non laeditur, Sed penetrante, Sic illa creditur, Post partum & ante: Felix haec puerpera, Cujus casta viscera Deum genuerunt, Et beata ubera, In etate tenera, Christum lactaverunt.

7. Mundus dum describitur, Virgo praegnans ibat, In Bethleem dum nascitur Puer, qui nos cibatur: In caelorum curia Canebatur gloria Novae dignitatis. Deus in sublimibus Det pacem hominibus Bonae Voluntatis.

8. Christe, qui nos propriis Manibus fecisti, Et pro nobis omnibus Nasci voluisti: Te devote petimus,

Laxa quod peccavimus, Ne nos interire Post mor-
tem nos miseros, Nec simul ad inferos Patiaris ire.

Cant. 4.

Str. I. **E**cce novum gaudium, Ecce novum mirum,
Virgo parit filium, Quae non novit vi-
rum: Quae non novit virum, Sed ut pyrus pyrum,
Gleba fert papyrus, Florens lilium. Ecce quod natu-
ra Mutat sua jura, Virgo parit pura DEI Filium.

2. Mundum DEUS flebilem Cernens in ruina, Ro-
sam delectabilem Produxit de spina: Produxit de
spina, Natum de regina, Qui est medicina, Salus
gentium. Ecce quod natura &c.

3. Nequidit Divinitas Plus humiliari, Nec nostra
carnalibus Magis exaltari: Magis exaltari, DEO
coequari, Caelo collocari, Per conjugium. Ecce quod
natura Mutat sua jura, Virgo parit pura DEI Filium.

Cant. 5.

Str. I. **C**ongraudeat turba fidelium,
Virgo mater peperit Filium in Bethlebem.

2. Ad pastores descendit Angelus,
Dicens eise natus est Dominus in Bethlebem.

3. Loquebantur pastores invicem:
Trahseamus ad novum hominem in Bethlebem.

4. In octava dum circumciditur,
Nomen ei Iesus imponitur in Bethlebem.

5. Trini, Trino, Trina dant munera
Regi regum sugenti ubera in Bethlebem.

6. Colly.

6. Collyridas simul cum noctare
Benedicat Christus Rex gloria in Bethlebem.

Cant. 6.

Str. I. **P**ersonent bodie Voces puerula, Laudantes
jucunde, Qui nobis est natus, Summo
Deo datus, Et de vi- r] gineo ventre procreatus;

2. In mundo nascitur, Pannis involvitur, Praese-
pi ponitur. Scabulo brutorum Receptor supernorum;
Perdidi - s] spolia princeps infernorum.

3. Magi tres veniunt*, Munera conferunt †,
Parvulum inquirunt, Stellulam sequendo, Ipsum ado-
rando, Aurum, thu- s] & myrrham ei offerendo.

4. Omnes clericuli, Pariter pueri, Cantent ut An-
geli, Advenisti mundo, Laudes tibi fundo. Ideo -]
gloria in excelsis DEO.

De fragilitate & miseriis humanæ
Conditionis.

Cant. 7.

Str. I. **V**anitatum vanitas, Omnia sunt vana,
Nil sub sole stabile In vita humana, Vel-
ut fumus transit Gloria mundana, Ista cur ample-
cteris, O tu mens insana?

2. Si cecus**, an oculus Tibi caligavit, Et apertis
oculis, Cecitas prostravit, Vel tuam dementiam, Furor
induravit, Ista non consideras, Neque cor expavit.

3. Dic, miser homuncule, Quidnam cogitasti? Cujus
erunt omnia Hæc, quæ congregasti? Ad caput reponi-
tur Tibi, quod amasti? Nequaquam: sed possides Id,
quod ignorasti.

4. Ani-

] Signif. 3 prox. præced. syllab. repet.

4. Animam diaboli Rapiunt ad pœnas, Amici pecunias Di. idunt amœnas, Fermes carnem devorant Simul atque venas, Res tua devolvitur Ad manus alienas.

5. Uxori Et liberis Res tuas liquisti, Pro his miser animam Tuam posuisti, Uxor ducit alium, Quem tu non novisti, Tui obliviscitur, Quam sic dilexisti.

6. Sic perit memoria Tuorum filiorum, Iphis succedentibus in prosperis honorum, Gaudent cum gaudentibus, Ut mos est eorum, Et tui memoria Cum sonitu verborum.

Cant. 8.

Str. I. Insignis est figura, Quam adinvenit aries, Cunctorum flos camporum, Mundum vocando vetulam Gressu mi--ra-bi-lem. Ambigua statura, Cujus rugosa facies, Asperitas membrorum, Vita presentis formulam Monstrat in--sta-bi-lem :/ Constat cunctis certissime Jam toties expertum, Quod defluit citissime Finem habens incertum, Hanc ergo credas fabulam, Rem tam pro--ba-bi-lem.

2. O quam multa promittit, Longam vitam, divitias, Favores Et honores, Tandem in sine decipit Te falli--bi-li-ter. Nam nudum te dimittit Ad maximas miseras, Dolores Et horrores, Corpus dum terra suscipit Mi-tera--bi-li-ter :/ Possessio dirumpitur Heredes per carnales, Et anima demergitur Ad pœnas infernales, Scito, quis ista recipit Jam sati...s gra-vi-ter.

3. Quam miser es, avaro, Qui non vis DEo credere, Nec in eum sperare, Quis diligis terrestria, Spernens cœ--le-sti-a. Prædico tibi clare, Quod cito de-

bes

bes perdere, Quæ congregas avaro, Teque cum violentia Tollit mo--rs i-moi-a :/ Versutias, astutias Perfolvis cum usura, Post carnisque delicias, Quas possides cum cura, Traberis ad supplicia Semper ma--ne-nti-a.

4. Si tamen vis salvari, Inmixtus Christi Sanguine, Dum tempus indulgetur, Pietatis operibus Instas si--de-li-ter ; Misericors placari Pater potest facillime, Si tamen exoretur : Nam lachrymis Et precibus Flectitur dul-ci-ter :/ Nam si conversus fueris Corde simul Et ore, Tuæque libens dederis Divino cum amore, Vere cum sanctis omnibus Fives se--li-ci-ter.

Cant. 9.

Str. I. Scribere proposui De contemptu mundano, Jam est hora surgere De somno mortis vano :/ Zizaniam spernere, Sumto virtutum grano. Surge, surge, vigila, Semper esto paratus.

2. Ubi sunt, qui ante nos In hoc mundo fuerunt Venias ad tumulum, Si vis eos videre :/ Cineres Et vermes sunt, Postquam computruere. Surge, surge Et c.

3. In hoc mundo nascitur Vix omnis cum mœrore, Atque vita ducitur Humana cum labore :/ Post extremum clauditur Cum funeris dolore. Surge Et c.

4. Vita brevis breviter In brevi finietur, Venit mors velociter, Et neminem veretur :/ Omnia mors surripit, Et nulli miseretur. Surge, surge Et c.

5. O si scires gloriam In regno beatorum, Nunquam dares animam Ad vana mundanorum :/ Sed servires jugiter Rectori Angelorum. Surge Et c.

) (5

6. O quam

6. O quam felices hi sunt, Qui cum Christo regnabunt, Facie ad faciem Dum ipsum inspectabunt:/: Sanctus Sanctus Zebaoth Domino proclamabunt. Surge &c.

7 O quam dolor flebilis, A Christo separari, Et nunquam in numeris Justorum nominari:/: Sed semper in tenebris Inferni cruciari. Surge &c.

8 O si pœnam minimam Sentires damnatorum, Bene vim hic sufferes Cunctorum tormentorum:/: Ut sic posses fugere Dolores captivorum. Surge &c.

9. Ibi nullam requiem Acquirunt existentes, Nec lassantur demones Animas punientes:/: Quorum voces clamitant: Vae! vae! aternaliter. Surge, surge, vigila, Semper esto paratus.

Cant. 10.

Str. 1. **M**ars præcurrit in planetis, Homo pacis & quietis Nil valet in seculo: Sed tyranni & feroces, Qui ad mala sunt veloces, Hi regnant in populo:/: Effrenes & indomiti, Qui de vastant & incendunt, Quæ sunt sua non attendunt, Tales placent Comiti.

2. Ducunt vaccas, equos, boves, Capras, hircos, porcos, oves, Et si qua similia: Ducunt lanam atque linum, De rapinis implent sinum. Nudat matrem filia:/: En iudex ante januam Clamat: redde quod tulisti, Vel peribis casu tristi, Mortem per turpissimam.

3. Jesu Christe, Fili Patris, Confer nobis jam renatis Tuum Sanctum Spiritum. Quid prodesset nobis nasci, Si tu velles Rex irasci Ad nostrum interi-

teritum:/: Memento, quod sumus tui, Tu es factor, nos factura, Tibi sit pro nobis cura, Te precamur cernui.

Cant. 11.

Str. 1. **M**irum, si lateris, Dum ex apparentibus Magis quam ex veris, Mors concludit Et illudit, Homo, quid tunc eris? Mors fallax sophista, Breves dies hominis, Quam vera sunt ista, Intus aret Et disparet Fragilis arista:/: Cum sit vitis Homo vix in mundo Heu sit, supplicis in lacu profundo Agitatur Et pulsatur, Ut ventis arundo.

2. Mors mundi figura, Quæ corrupta subito Perit, ut pictura, Non in luctu, Sed in fluctu Hominem demtura. O mundi Sophia, Nos errantes corrige Per tatis via, Ut eamus, Ne cadamus In mortis ruina:/: Tu spe humilium, Rutilans aurora, Pro nobis Dominum Jugiter implora, Adjuvare Tu dignare Nos mortis in hora.

3. Hominem tam durum facentem in crimine, Se judicaturum, Dum post mortem Sciat fortem Judicem venturum; Quid artes? quid iura Tibi pro sunt homini? Solum ad futura; Vel est ite, Vel venite, Judicis censura:/: Ergo dum veneris, Iudex, judicare, Tu nostri generis Statim memorare, Quos emisisti, Redemisti, Noli condemnare.

De vita Scholaistica.

Cant. 12.

Str. 1. **O** Scholares, di-sci-te, Auribus perci-pi-te, O-culis

culis videte, Quam beatam du-ci-tis Vitam, quam dili-gi-tis Studium quietis: Mane Scholas petite, Vesperis rece-di-te Domum repentes: Quis status felicior? Quae vita secu-r-or Inter nunc videntes?

2. Reges, duces, co-mi-tes, Principes & mi-li-tes Nunquam sunt securi; Vivunt enim mi-se-re, Arma debent ge-re-re Semper pugnaturi: Ap-ellan-tur Domini; Omni non ho-mi-ni Talis laus debe-tur. Bona transitoria Sunt eorum glo-ri-a, Si-cuti videtur.

3. Mercatores pro-vi-di*, Nocte die ti-mi-di, Flu-mina marina, Propter lucrum, tran-se-unt, Et quan-doque pe-re-unt Morte repentina: Quorum mer-ci-monia Sorte pendent du-bi-a, Pariter & vita. Vt-si miserabili Pereunt de fa-ci-li Diu acquisita.

4. Rusticorum li-mi-ni Solent terra Do-mi-ni Dominari mire: Quicquid debent, e-xi-gunt, Si non praestant**, a-di-gunt Pauperes abire: De thesauro paupere Magnis solent a-dde-re Magnam portionem. Sed eo febilis, Quod his DEus ci-ti-us Mittat utionem.

5. Regula Schola-ri-um Est excellens om-ni-um Vita sanctitate. Licet nulla si-mi-lis Tamen est dif-fi-ci-lis In asperitate: Soli DEo ser-vi-unt, Sisiunt, e-su-ri-unt, Quorum paupertatem Enarrare nequeo, Consequuntur i-de-o Christi pietatem.

6. Ex istis colli-gi-te Vitam, quam dili-gi-te, Sem-per clericalem. Singula per-tra-nse-o, Ita quod nunc ne-sci-o Similem vel talem: Vos estis in medio Li-bero

berò arbi-tri-o Rite confidentes, Postquam senueri-tus, Sacerdotes e-ri-tis DEo servientes.

7. Qui in terris pro-pri-um Linqunt patri-mo-ni-um, Habent Spiritale: Qua propter solli-ci-te Date preces de-bi-te, Propter dnum tale: Ipse vos ad gaudia Transferat caele-sti-a, Precibus placatus, Ubi sine termino Hymnum canit Do-mi-no Popu-lus beatus.

Cant. 13.

Str. I. Scholares convenite, Libenter haec audite, Procul a vitio, Tractabo vobis rite, Quae qualis vestra vita Constet conditio: Nam primi-tiu barbati, In facie rugati, Stabant rigoribus. Vix volunt ablati Jam esse subjugati Suis do-ctioribus.

2. En quondam timuistis Magistros, dum sedi-stis Vos in putveribus: Iam certe profecistis, Cum subdit fuistis Scholae verberibus: Omne caput lan-guescit, Dum Pastor oves nescit, Ac errans erit grex: Latinum jam recessit, Barbaricum accessit, Schola-rum perit lex.

3. Scholaribus revera Iecunia in pera, Quinter-ma manibus, Et capiti in sphaera Mitra fulget sin-cera Modis in omnibus: Vix sciunt G ut, A, re, Nec Musa declinare, Nec curant studium: Sed discunt cuorizare, Incipiunt amare Mundi tri-pu-iam.

Cant. 14.

Str. I. In stadio laboris Currunt omnes socii: Sed bravium honoris Non sequuntur singuli:

*Si non vis onerari, Caveas honorari,
Honor vult onere gravari.*

2. *Sicut dulcedo mellis Non evacuabitur,
Acerbitasque fellis Nunquam relaxabitur:|:
Sic & in pralatura Nullus est sine cura,
Rerum hoc exigit Natura.*

3. *Sed si in libertate Vivere volueris,
Vivas in caritate, Sic tu non dolueris:|:
Nil habes, nil dolebis, Perditum neque flebis,
Sed in hoc, quod habes, gaudebis.*

Cant. 15.

Str. I. **O** Scholares, Voce pares, Jam mecum concinite,
Et choream Jubileam Semper mecum ducite:|:
Jam ad festum Modo mactum Servituriis studii,
Noster cætus Speret tatus Nobilis convivii.

1. *Convivari, Non trislari Juhet lex in seculo,
Consolari, Jucundari Mandat Bacchus populo:|:
Ergo gaude, Plaudite laude, Concio Scholarium,
O si tale, Tale, tale Semper esset gaudium.*

3. *Felix ludus, In quo nudus Scholaris verberibus
Non succumbit, Nec decumbit Magistri livoribus:|:
Ergo gaude, Plaudite laude, Concio scholarium,
O si tale, Tale, tale Semper esset gaudium.*

De Tempore Vernali.

Cant. 16.

Str. I. **I**n vernali tempore, Ortu letabundo,
Dum recedunt frigora, Nunciat hirundo:|:
Terra

*Terra, maris, nemoris Decus adest deforis,
Renovato mundo. Vigor redit corporis,
Cedit dolor pectoris, Tempore jucundo.*

2. *Terra vernat floribus, Et nemus virore,
Aves mulcent cantibus Et vocis dulcore:|:
Aqua tempestatibus Caret, ær imbribus,
Dulci plenus rore. Sol, consumtis nubibus,
Radiis patentibus Lucet cum dulcore.*

3. *O quam mira gloria, Quantus decore DEI,
Quanta resplendentia Sux faciei:|:
A quo ducunt omnia, Ina, summa, media,
Formam speciei? Major est distantia,
Quam sit differentia Noctis & diei.*

Cant. 17.

Str. I. **T**empus adest floridum, Surgunt namq; flores,
Vernales in omnibus Imitantur mores:|:
Hæc, quod frigus læserat, Reparant calores,
Cernimus hoc fieri Per multos labores.

2. *Prata plena floribus, Jucunda conspectu,
Ubi juvat cernere Herbas cum delectu:|:
Planta cum graminibus** Hieme quiescunt,
Vernali in tempore Virent & accrescunt.*

3. *Hæc vobis pulchre monstrant DEum Creatorem,
Quem quoque nos credimus Omnium factorem:|:
O tempus ergo hilare, Quo letari libet,
Renovato nam mundo, Nos novari decet.*

4. *Terra ornatur floribus Et multo decore,
Nos honestis moribus Et vero amore:|:
Gaudeamus igitur Tempore jucundo,
Laudemusque Dominum Pectoris ex fundo.*

E Joh.

E Joh. Anastasii Freylinghausen Geistreiches Gesänge
Buch, Halle Saxon. 1721. Impress.

Cant. 18.

Str. I. **J**esu benigni, **A**l'ignus igne Opto fla-
grare, Et te amare. Cur non fla-
gravi? Cur non amavi Te, Jesu Christe?
O frigus triste! :/:

2. Pelle algorem, Et da amorem; Te depe-
ribo Et non peribo. Ignibus gliscam, Ne per-
sentiscam (a) DEi amantis, Rogos damnantis. :/:

3. Sunt cause mille, Cur velit ille Semper a-
mari, Semper laudari. Primus amavit, Et viam
stravit Ad se amandum, Ad se laudandum. :/:

4. Dum me creavit, Primus amavit, Dum me
redemit, Pœnis exemit. Exemplum DEi Amantis
mei Sequar amando, Cor dedicando. :/:

(a) Vindictam te.

OBSERV. Priorès Editiones habent: p. 4. * Bos
cognovit ** de metri gr. a nobis omiff. p. 6. *** Ad
præsepe stant bos & asinus, Cognoverunt quia esset Do-
minus in Bethlehém, quem strophum consulto missam
fecimus. p. 7. * venerunt, ** es propt. metr. o-
miss. p. 12. * avidi, ** Rustici sunt asini quibus ter-
ra Domini Dominantur mire. Quicquid habent, ra-
piunt, si non habent, &c. p. 15. * Sunt metri caus.
omiff. ** Gramina & planta it. commut.

Præterea p. 7. † verba: Munera conferunt, in
antiquis Editionibus desiderantur.

108) * (108
F. H. J. W. M.

Peter Alex. P. H.
Jan. 1787

~~_____~~
Wespa die 25. Jan. 1787.

~~_____~~

~~_____~~

~~_____~~

~~_____~~
1786